…inicii Oratio gratulatoria

ORATIO
GRATVLATORIA,
Fr. DOMINICI ELBIG,
NATIONE GERMANI ORD. PRÆDIC.
pro Promotione ad Doctoratum
ADMODVM REVERENDI PATRIS
Fr. GVILIELMI FELLE
PROVINCIÆ PARISIENSIS Eiusdem Ord:
AC SERENISSIMI
IOANNIS III.
POLONIARVM REGIS ELEEMOSINARII
Facta in Studio Generali Cracouiensi, coram Magnif:
D. RECTORE
ET CLARISSIMO EXCELLENTISsimorum Collegio Almæ Vniuersitatis.
Ac dedicata Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,
D. PETRO CORYCINSKI COMITI de Pilca, COADIVTORI PRÆPOSITVRÆ MIEchouiensis, Generali Canonicorum SS. Sepulchri Hierosolymitani, Camerario Suæ Sanctitatis Decano, & Officiali Pułtouiensi Secretario S. R. M. Gallorumq; Amicissimo.

CRACOVIÆ, in Offic: Francisci Cezarij, S. R. M. Typog: 1675.



I Laureatâ fronte Tuâ ADMODUM R. Neolaureate MAGISTER, in hac publica ingeniorum Paleſtra diſſerentem me protegi conceſſeris, audebo ante pugnam pæna canere, ante victoriã Triumphum celebrare. Etenim quid in Te tot Magnatum fauor, & gratia, niſi fortitudinem, cui inniteris ad reſiſtendum cunctis? quid continuum ſtudium, niſi maiorem in dies palmam? quid ſumma vitæ tuæ modeſtia pollicetur, certas niſi victorias, & præoptatos triumphos? Hanc felicitatem Tu præquam plurimis tenes, cum victorias vbique numerare non ceſſas, Sed clariſſime in teneriore iam tua ætate patuit, ſuaue Religionis portando vtiq; iugum; quando in Regno Neapolitano ſub Magiſtris doctiſſimis magna cum laude Philoſophiam, ac Theologiam abſoluiſti, quando adhuc Iuuenis Illuſtriſſimorum Æquitum Melitenſium

Pœni-



Pœnitentiarius fuiſti, quando Hieroſolymã cunctaq; Redemptionis noſtræ loca humillimè ac deuotiſſimé viſitaſti, quando deniq; in Doctiſſimo Antiquiſſimæ, & Celeberrimæ Vniuerſitatis Bononienſis Agone, vtriusq; ſcientiæ ſpectantibus, & applaudentib⁹ Doctorib⁹, fortiter impugnari, nullo pacto expugnari potuiſti. Volabant omni ex parte acuta contra Te Argumentorum ſpicula, at Tu Achillem, nullâ corporis parte vulnerabilem Te demonſtraſti, nec vnquã tamen contentari valuiſti, quam donata Tibi Lectoratus Laurea.

Quod ſi ex tenero vngue liceat argumẽtum ſumere de Leone, quid putandum Te iam facturum in Curia, qui tam præclara egiſti in Schola? Quantus eris in Pallade togata, qui Tantus eras in Literata? ſanè & præclaræ animi Tui dotes, quibus conſpicuus refulges, prouida in rebus agẽdis circumſpectio, mira animi moderatio, ſumma erga omnes

omnes

mnes humanitas, exemplaris vitæ, morũq; integerrimorum probitas, iam dudum Te ad altiora euexere honorũculmina dum habilis repertus es. Tuam non in Patria, ſed apud Græcos Sciſmaticos in Corcyra Venetorũ Inſula profiteri Philoſophiam, vbi Illuſtri ſtirpe natos erudîſti Adoleſcentes, Senatorum nimirùm, ac Prouiditorum Chara Pignora: Vndè tot laborum tanta nihilominùs acquiſitorũ gloria, rationem habere volens Reuerendiſſimus Nòſter, Te Romæ Baccalaureâ decorauit dignitate.

Argutæ in Famoſa Salisburgenſi Vniuerſitate, non ad alios capiendos verborum technæ ſtruebãtur à Te, ſed ſincerè Ipſomet adſtante Principe Concluſionem de Conceptione vtpote contra Alexandri VII. mandatum, minimè debuiſſe Typis mandari oſtendebas, Tu tanquam verus ac obediẽs Eccleſiæ Romanæ filius, cunctorum admiratione difficillimũ de conſtitutiuo Diuinæ naturæ

naturæ eligens Argumentum. Tu velut ingeniosus Vlisses technas technis eludere nouisti; non tortuosorum more serpentum elenchis impetebas, sed solidâ, subtiliq; Doctrinâ fortiter impugnabas: Tu tandē Professores Istos felicissimè elisisti: Quamobrē maximo in honore apud Principem fuisti, qui nedum gratiâ suâ, sed liberaliter diuersis ditauit Te muneribus.

His non contentus ad altiora aspirasti, ac Theologiam Speculatiuā, spectantibus Canonicis Regularibus publicè in Germania professus es, vbi omnium ob nedū doctrinæ profunditatem, sed mirā explicandi, ac communicandi perspicuitatē, beneuolentiam, immortaleq; Tibi nomen acquisiuisti. De Politicis, in quibus versatissimus es, non loquor; Tua enim satis loquentur breui Scripta: Ideo Principes, vt Magnus Florentiæ Dux (qui Te ad Purpuratos tanto comendabat ardore) Bauariæ Electrix (quæ Te in

suo

suo Statu pro scientiarũ Professore publico, Coruis licet inuidentibus, retinere volebat) plurimiq; Cardinales & Prælati semper magno prosecuti sunt Te affectu. Dignus in Polonia Eleemosynarij Officio visus es á Serenissimo ac Inuictissimo Rege, pro cuius conseruatione, veraq; prosperitate ad Cælũ non cessas emittere preces; quod idem pro Serenissima Regina facias, probarunt Literæ tuæ, per totũ Ordinem missæ, quib' dum vltima graui, ac periculosâ laborabat infirmitate, Ipsam cunctis cõmendabas Religiosis Deuotis, vt mæstus non remaneret Monarcha qui tunc pro Fide, ac Regno suo hilariter pugnabat: Quãobrẽ in Aula multos habuisti inuidos, qui superb', quia nõ es ex hoc multoties minime grauẽ te esse dicendo, sumpserunt argumentũ; Angelicũ enĩ Doctorẽ nostrum, qui maturitatẽ quærit, nõ grauitatẽ, ac Põpam Te imitari nolebãt. Hoc tamẽ mirãdũ, quod de omnib' bene sẽtiebas, offẽsas offensis non repellebas, cunctis gratus, ac a-

mabilis, etsi Felle voceris, Ambrosiã, & non fel, nisi solis Grammaticorum Professoribus seu Nobiliss: Aularum Circularistis (eos coram Principe contẽnendo, ac sæpius magno cum pudore confudendo) vtiq; propinabas.

Quomodo gratus non fuisses, qui tot Regiones peragrasti vanas, vtpotè Angliam, Belgium, Flandriã Hollandiã, Galliam Italiam, Siciliã, Zacinthũ, Corcyrã, Cephaloniam, Cretam, Cyprũ, Chios, & multas alias Ægei Maris Insulas, totam Palestinam, totã Iudeam, Syriã, Græciã, Constantinopolim Germaniam & Poloniã. In omnib⁹ his multa inuenisti laudanda, Nobilitatem nihilominus Polonicam, quamcunq; super aliam maximi facis, cum enim Nobiles ad Regnũ aspirare possint, omnes esse Reges vbiq; dicis. Ob intimam Præclariss: Parisiensis Tuæ Vniuersitatis cum Cracouiensi connexionem, Cracouiensium Doctorũ laudes nonunquã decantas: Vnde hic vt Tua omni ex parte perfecta esset lætitia, hodierna luce à

Reuerendiss. applausu, ac gratulatione Magisterio decorat⁹ es, in quo in perpetuũ floreas, vnanimes præcãtur atq; exoptant. Perge itaq; A. R. Neolaureate Magister, benè ominantibus Tibi superis ad altiores etiã Ecclesiarũ gradus, ac prosperè propera ad triũphos, tuisq, virtutibus ad fortium Heroum Gloriam enitere, & suaue cantantibus Cygnis supra æthera prouola, ac virtute promotrice scande ad summa humanarum Dignitatũ fastigia; ego interim si quas auspicio gratulationis meæ reporto adoreas, Tuis A. R. P. M. Dico, Dedicoq; Triumphis, Tu verò vicissim spõdes in recenti semper habiturum memoria Promotionis decus atque omni prosecuturũ beneuolentia A. RR. PP. Cracouienses, nõ obstante quod nomẽ Tuũ quandam insinuet amaritudinẽ, dum Felle indicet fel, nihilominùs Omen hoc in summam versurum dulcedinem Te polliceris. DIXI.

IMPRIMATVR.

M. S. S. MAKOWSKI RECTOR.